

Justus Christoph Schomer Daniel Slafius

## **Theologiae Moralis Disputatio Quinta De Iustitia Universali**

Rostochii: Weplingius, 1690

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733620507>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 22.März 1690

Schomerus, Just. Christ.





THEOLOGICAE MORALIS  
DISCIPLINAE QUINQUE

DE

JUSTITIA UNI  
VERSALI


ON III

In insula ad Varnum Academiae  
Comitatus Ven. Facult. Theologicae

PRÆSIDE

IUSTO CHRISTOPHO

RO. SCHEFFERO



SS. TH. D. & R. P. C. O. N. S. I. S. T. A. N. T. I. S.

& superintendente Medicorum  
primario eximiorum doctorum

DANIELI STABIIUS

Amphicoenitae

ad d. m. Martii Anno 1600

ROSTOCKI Typis JOH. WILHELMII

271

17

# CAPUT V.

DE  
JUSTITIA UNIVERSALI.

§. I.



Idimus hactenus, quænam Moralis  
Theologiæ semina in ipsis agendi prin-  
cipiis jaceant, nunc ad res ipsas, acti-  
ones & illarum objecta progrediemur.  
Actiones omnes oportet non tantum  
agenti congruas esse, ut cum genera-  
libus regulis officii intellectûs & volun-  
tatis conveniant, sed & objectis, ut id,

Resp. DA-  
NIELE SLA-  
FIO, Am-  
stelodam-  
Batavo.

quod circa illa fit aut tentatur, natura illorum patipossit.  
Per *objecta* intelligimus & illa circa quæ aliquis finis inten-  
ditur, & media ad obtinendû finem assumpta, per *actiones*, &  
intentionem mediæ, & operationem, quæ ad finem tendit.  
Requiritur igitur præter finis & mediorum harmoniam,  
quæ hæc illi subordinantur, ut illum promoveant, non im-  
pediant, etiam harmonia tam intentionis quàm operatio-  
nis cum ipso tam medio quàm fine objectivo, ne quæ a-  
ctio circa objectum suscipiatur, aut objectum ad ali-  
quam actionem moveatur, quæ eidem repugnet. Pu-  
gnare autem aliquid potest dupliciter, vel ob adversas  
rei qualitates, secundum quas ad eum effectum, qui  
intenditur, idonea non est, quæ *physica pugna* est, vel ob  
adversam animi ipsius nostri æstimationem, quæ obje-  
ctum cum agente comparatur, quæ est *pugna moralis*, &  
unicè hîc attenditur. Actio enim est motus ejusmodi,  
quo nexus aliquis agentis & objecti fit, ideoque quæ est  
actio, objecto propriè, non ut illud physicè, id est, in se  
& absoluto quodam conceptu consideratur, sed ut se ha-

O

bet

bet ad agentem, convenit vel repugnat. Atq; ita oportet omnem actionem omnemq; voluntatis inclinationem talem esse, qualem objecti ad agentem respectus vel requirit vel saltem pati potest. Quippe ut recta ratio pariter ac natura ipsa rerum non nisi conformem sibi veritatem admittit, ita sana voluntas non est, quæ confusis & contradictoriis conceptibus mentem implicat. Quod ut plenius intelligatur, paucis absoluti & relativi conceptus differentiam ex elementis logicis repetemus.

§. 2. Enimverò conceptus alii ita comparati sunt, ut per se sentum absolvant & cogitationem sistant, etsi nullus alius conceptus se menti ingerat, & illi dicuntur *absoluti*, ut v. g. cum de circulo cogito, non est necesse ut de partibus vel proprietatibus ejus simul cogitem, neq; ut de aliquâ realiâ, quæ præter circulum existit: alii verò ita comparati sunt, ut non possint sine concurrente alio conceptu intelligi, v. g. cum totum nomino, non possum quin & de partibus cogitem, cum causam, etiam causati notio animo subjicitur necessario, & hi vocantur *relativi* & alter alterius *correlativum*. Qui & ipsi tamen non in unâ differentiâ sunt. Scholastici distinguunt relationes reales & rationis, secundum esse & secundum dici, prædicamentales & transcendentales, in quorum tamen terminorum explicatione non ubiq; certus consensus est. Nos mixtis illorum disputationibus planiorem viam sequemur, cui terminos illos quodammodo accommodabimus. Nempe conceptus relativi alii tantum dicunt, qualis res sit sibi ipsi, ut conceptus totius & partium, quorum nexus dicitur nobis *relatio rationis*, alii tantum qualis res sit alteri, ut v. g. conceptus causæ & causati, domini & servi, præceptoris & discipuli, quorum relationem vocabimus *realem secundum esse*, alii & qualis res sit ipsi sibi & qualis

272 7  
qualis alteri, exprimunt, ut scientia & scientem respicit & scibile, quorum relationem appellare liceat *realem secundum dici*. Relationes partium ad partes ejusdem rei, ut materiae ad formam, capitis ad corpus, analogicè ad secundam classem referimus, si partes realiter ita separabiles sunt, ut seorsim existere possint, ad primam verò, si separari ita nequeant. Qui secundum esse relati appellantur, in arctissimo sensu ita appellantur, quia illorum tota notio in illo diversarum rerum ad se invicem respectu absolvitur, ut quam longissimè ab absolutis absint. Sunt autem relativi hi conceptus quaedam mentis compositiones ex consideratione singularum rerum ortæ, & peculiarem ipsis æstimationem adjectives, & quia à nobis ipsis oriuntur, evidentiores sunt omnibus conceptibus absolutis, ac apertioribus consequentiis patent. Quid enim cuique conceptui includatur, aut inde excludatur, evidentius patet de illis, quos ipsi nostram industriam totos formavimus, quam de iis, qui solam sensuum experientiam excitantur. Unde adeo argumenta topica, quæ ab illatione relationum desumpta sunt, non probabile tantum, ut multis persuasum est, sed certissimam scientiam gignunt, omni aliam demonstratione, quæ juxta methodum posteriorum analyticorum in physicis exemplis quæritur, longè majorem.

§. 3. Relationes reales secundum esse, quas solas hic considerare sufficit, fundantur vel in quibusdam motibus, id est, actionibus aut passionibus præviis, vel in fixâ & permanente rei naturâ, conditione aut qualitatibus, quæ fundamenta conceptibus terminorum relativorum non minus quam ipsa correlata includuntur. Et oportet ubique aliquam relationi causam esse, quæ vera rei ad alteram æstimatio à falsâ distinguatur, imò ne falsa quidem esse vel fingi sine manifestâ absurditate & contradictione potest,

O 2

nisi



nisi & causa illi seu fundamentum esse fingatur. Ita qui v. g. herum cogitat, non tantum servum ei esse cogitat, sed & aliquid sive factum esse, sive etiamnum existere, quo ille respectus herilitatis & servitutis nitatur. Itaque ut cognitio rem sequitur, ita sequitur ratio suum fundamentum, ut cum illo vel posito vel sublato stabiliatur & corruat, neque sine illo vel posito vel sublato poni vel tolli possit. Distinguitur etiam quæque ratio in formalem & fundamentalem, ubi formalis vocatur, ut in mente æstimatoris est, fundamentalis, ut in re, nec revera aliud quid est quam ipsum relationis fundamentum à relatione formali denominatum. Fundamentum hoc in utroque correlatorum hæere necesse est, alioquin non possent æstimatione conjungi, at idem ut sit utroque, necesse non est, dummodo æstimatione conveniant, id est, ut in eodem exemplo maneamus, oportet non tantum in heri causam esse herilitatis, sed & in servo servitutis, quoniam alia servi alia heri conditio est, attamen ut ad mutuuum nexum tendant, quo hic illi subiciatur. Neque uno semper fundamento nititur ratio, sed sæpe pluribus sive æqualiter sive inæqualiter, ita ut & ab altero mediate, ab altero immediate dependere possit, sicut v. g. ratio patris & filii familias in jure Romano partim naturali partim civili lege nititur.

§. 4. Relationum harum alia comparationem subjectorum inter se exprimunt, alia dependentiam. *Comparationis relationes* sunt, quibus alterum alteri æquale vel inæquale, simile vel dissimile, prius vel posterius loco aut tempore esse dicitur, in quibus quæ æqualia, similia, simultanea sunt, *equiparantia*, quæ inæqualia, dissimilia, successiva sibi sunt, *disquiparantia* relationes appellantur: *dependentia* vero relationes vel sunt *subordinationis*, qualis est inter causam & effectum, imperantem & parentem, signum & signa-

253 17  
gnatum, &c. vel *coordinatio*nis, qualis est inter causas socias seu officii collegas, ad eundem effectum concurrentes; vel *oppositio*nis, qualis est inter oppugnantem & resistentem. Nam & resistendi modus ab oppugnatione pendet & dirigitur. Coordinationes omnes sunt reciprocae, subordinationes verò & oppugnationes aliae *μόνον πλευροι* seu unilaterae, cum alterum causae vel signi, alterum causati vel signati rationem habet, ab unâ parte vis fit, ab alterâ evitatur vel repellitur, aliae *διπλευροι* seu bilaterae, cū mutuâ in se causalitate agunt subiecta, mutuamq; sibi vim intentant. Comparationis relationes inter omnes res versari possunt, dependentiâ verò tantum inter eas, inter quas actionum est commercium, ideoq; omnia dependentiâ relata etiam comparationis relationi subiecta sunt, sed non contrâ.

§. 5. Quælibet harum relationum, si eam sequi velis, peculiarem requirit in correlatis actionum moderationem, quâ correlata inter se agant, cum agunt, n.p. ut actiones fiant eo modo, quo correlatis conveniunt, & per quem relatio subsistere potest. Nam in comparatis sine concessio alterutri excessu nulla est inæqualitas, nec sine servatâ utrinq; qvalitate eâ, quæ relationis fundamentum est, similitudo, nec sine effectu causalitas, aut sine directione imperium vel signum, nec sine concordibus studiis inter se concurrentibus societas, nec sine discordibus oppositio. Sed potius, quò magis vel minus cuiq; excessus tribuitur, eo major vel æqualitas est vel inæqualitas, quò plus in altero efficitur, eò major ejus est causalitas vel directio, quò impensior vel concordiae vel discordiae cura, eò etiam fortius vel coordinatio vel oppositio procedit. Idigitur præstat in homine ratio, ut quæ sibi sit adversus quemq; relatio observare, & juxta eam suas vel regere vel æstimare saltim actiones possit, estq; hoc officium hominis, ut relationis suæ

naturam atq; harmoniam ubiq; observet, ne individua quævis sive actio sive intentio ejus, & quæ inde resultat nova relatio, generali intentioni atq; relationi, quæ ipsi cum objecto intercedit, adversa sit. Quod si relatio & ejus fundamentum simpliciter à nostro pendet arbitrio, ut pro libitu variari possit, vel inefficax vel in horas mutabilis est voluntas, si contra eam quid egerit, v. g. si finem velis, nec media tamen, si paritatem servare cupias cum eo, cui subinde cedis tamen. At cum relationis immutatio à nobis non pendet, tum verò in physicam repugnantiam incidit, qui relationem illam tollere vult, in moralem, qui contra illam non sublatam quid agit.

§. 6. Adstrictio potestatis naturalis ad hanc officii nostri mensuram vocatur *obligatio*, quâ id quod per vires animi atq; corporis aliàs possemus, non posse, aut ad id, unde naturalis aliàs libertas discedere atq; divagari permittebat, adstricti esse æstimamur, ob ejusmodi aliquam relationem & actionum nostrarum regulam. Neq; tamen obligatio in objectorum tantum ad nos habitudine spectatur, sed & in naturâ ipsâ voluntatis atq; intellectûs, quæ pariter regulis nos quibusdam adstrictos tenet, ut superioribus capitibus vidimus; & omnes tales sunt, ut illarum neglectio confusionem & contradictionem in conceptibus mentis atq; animi motibus pariat. Ipsa verò illa sive agendi necessitas sive potentia & impotentia moralis, quæ ad ejusmodi mensurâ æstimatur, *jus* appellatur, & pro triplici hac æstimationis vi in potentiam naturalem, vel est *preceptivum*, quo necessitas agendi infertur, & libertas ad certâ speciem actionis adstringitur, vel *permisivum*, quo libertas agenti relinquitur, vel *prohibitivum*, quo idem à certi generis actione retinetur. Qui permissivi juris nomen agnoscere nolunt, quòd id videatur potentia naturali nihil vel addere vel

vel demere, non animadvertunt ad communem hominum phrasin, quâ ejus rei mihi jus esse dicitur, quæ permittitur, seu quam alteri non licet prohibere. Atq; adeo etsi jus permissivum potentiam agentis non adstringit, ampliatur tamen, dum cohibet potentiam alterius intercessoris, qui poterat actioni meæ obniti. Unde *jus* aliud *activum* est seu activè obligans, n.p. potentia moralis, quâ quis habet ad exigendum & prohibendum, n.p. ad prohibendum tum factum quodvis, tum etiam jussionem & prohibitionem alienam, aliud *passivum* seu passivæ obligationis, n.p. necessitas & impotentia moralis, quâ quis exigenti & prohibenti tenetur.

§. 7. Obligandi principium potest dupliciter considerari, vel ut rei & actioni cuiq; internum est, vel ut externum; utroq; sensu *συνενόημα* & *jus* & *lex* appellatur. Internum principium est ipsa ex agentis ad objectum & voluntatis ad intellectum habitudine defluens actionum mensura, quæ quia ipsi rerum, imò ipsius Dei naturæ indispensabiliter inest, naturalis & æterni juris legisve appellatione gaudet. Equidem nolim cum plurimis scholasticorum ad eam devenire mentis abstractionem, ut & in hypothesi nullius existentis Dei aliquod tamen jus certum & æternum fore asseram. Quia enim Deus fons omnis veritatis est, extra quem nullum positivum rerum rationisve principium, aut essentia æterna, in scholis ita dicta, vel esse potest, sequitur, quòd quâ hypothesi Deum è mundo sustuleris, eadem & omnem rerum naturam atq; veritatem auferas, ut nullum remaneat ullius propositionis fundamentum. Neq; tamen cum aliis à liberâ & indifferente voluntate Dei omne jus suspendimus, quod pro lubitu mutari possit, & inextruendo fortè alio mundo contrariū proponi; sed quæ æternæ & immutabilis veritatis esse agnoscimus, ex ipsâ Dei essentiâ æternâ & immutabili ut  
deri-

derivemus necesse est, quâ Deus se ipsum negare nequit, *II. Tim. II. 13.* Nam ut natura Dei nullam contradictionis compossibilitatem fert, *conf. II. Cor. I. 19.* ita neq; contradictionis attentationem in actionibus & motibus voluntatis pati potest, quibus directio intellectûs turbatur, aut agentis ad objectum relatio, etiam dum hærere intelligitur, pariter evertitur. Est hæc essentialis Dei veritas, unde omnis fluit morum regula, & hinc rectitudo Dei & leges ejus vocantur ejus veritas *Pf. CXI. 7. CXIX. 30. 86.* & peccatum projectio veritatis *Dan. VI. 12. Job. VIII. 44.* Sic igitur non malè rem consideravit Grotius *l. I. c. I. de j. b. & p.* cum ad ductum Theologorum dixit, non magis effici à Deo posse, ut quod intrinsecâ ratione malum est, tale non sit, quàm ne bis duo sint quatuor. Quamquam enim confusio voluntatis contradictoria appetentis, qualia sunt quæ relationi nostræ & directioni intellectûs repugnant, physicè impossibilis non est, uti est contradictio in ipsâ re, v. g. negematio binarii binarium geminet, æq; tamen absurdum & repugnans est perfectissimæ naturæ divinæ, insanam ejusmodi voluntatem probare ac contradictoria efficere, cum voluntas voluntatem probans eidem conformetur.

§. 8. Externum obligandi principium est voluntas imperantis & cogentis, sive ipsius Dei sive aliorum, quibus subsumus. Hoc sensu duplex notio atq; definitio legis dari potest, vel quòd sit *voluntas cogentis signo expressa*, vel quòd sit *signum voluntatis ejus qui cogit*: & sic etiam legem naturalem definire possumus, quòd sit signû seu testimonium voluntatis divinæ naturaliter nobis impressum. *Rom. II. 15.* Nam quod per ipsam Dei naturam immutabile est, id idem etiam vult, nobisq; observandum dedit, ita ut nulla dispensatio contra illud locum habeat. *Quam autem*

277 17  
autem præterea legem libero decreto vel Deus imperat vel homo, arbitrariam, vel recepto hodie vocabulo *positivam* vocamus, eoq; nomine ab iis, quæ naturalis & intrinsicæ necessitatis sunt, distinguim⁹. Cujusmodi positivæ leges tollunt quidem permissionem, quæ à lege naturali est, dum novam obligationem à novo principio introducunt, non tollunt tamen ipsam vim permissivam juris naturalis, id est, non faciunt, ut id quod juris naturalis est, esse desinat, sed faciunt tantum ne actio nostra ex illo solo æstimetur. Quando verò lex cum interno obligationis principio convenit, & inde repetita est, dicitur eatenus habere *vim directivam*, quatenus verò à voluntate imperantis pendet, habere vim *coactivam*.

§. 9. A jure derivatur *justitia*, tanquam juris observatio, quæ dupliciter consideratur, vel ut actiones afficit vel ut agentes. Illo respectu est ipsa *actionum cum obligandi principio* sive interno sive externo *harmonia*, seu quod idē est, *aqualitas debiti & præstiti*; hoc verò respectu considerata est *perfectio agendi secundum obligationem istam*, atq; adeò eadem fere cum ipsâ sanctitate. Unde & hæc tanquã synonyma vocabula conjunguntur *Luc. I. 75. Eph. IV. 24.* Rationis tamen subtilem aliquã differentiam inter utramq; vocem observare licet cum Aristotelicis, virtutem & justitiam non multum absimili modo discernentibus, quòd nō *sanctitas* hominem denominet magis, ut ille absolute & respectu sui consideratur, *justitia* vero magis, ut idem respicit alios. Nam sanctus dicitur homo, quatenus nihil ipsi perfectionis deest ad rectum agendi modum, promptamq; recti intellectus observationem in omni motu voluntatis, justus autem quatenus alteri satisfacit, cui obligatus est, sive legis latori, quo nomine dicitur *obedientia*, sive illi, qui actionis objectum est. Itaq; si propriam vocis vim consideres,

sideres, non videntur justitiæ nomine comprehendendi, quæ quis sibi ipsi præstat, & ad internam tantum intellectûs & voluntatis harmoniam pertinent, nisi eo solû respectu, quo illa ut actûs obedientiæ legi divinæ præstitæ considerantur, vel ut medium, ad id quod decet alteri præstandum vel utile vel necessarium. Quare veteres Academici justitiam à tribus aliis virtutibus cardinalibus ut quartam distinxerunt, puta à *prudentiâ*, quæ intellectûs perfectio est, *fortitudine & temperantiâ*, quæ voluntatis robor & perfectio sunt, quarum illâ fugæ ac averfionis, hac appetitûs præceptus & irregularis impetus sifiti intelligitur, ita ut id tantum justitiæ esse diceretur, quod à relatione, quæ cum aliis intercedit, regitur. Cum tamen quæ prudentiæ, fortitudinis & temperantiæ sunt, ad legem Dei jubentis, aut ad officia aliis præstanda referimus, etiam justitiæ actûs fiunt, non elicitus sed imperati.

§. 10. Regulæ generales justitiæ, quæ ex his relationibus resultant ad regendas actiones, eadem fere sunt cum iis, quas ad communem omnium disciplinarum usum in doctrinâ topicâ exhibent logici, easq; parvo numero complecti possumus. Prima quam relatio nudæ comparationis suppeditat circa quantitatem, hæc est: *æqualibus æqualia debentur, inæqualibus inæqualia*, np. ei, quod majus est majora, ei quod minus minora, videlicet exiis, quæ respectu ejus, in quo æqualia vel inæqualia sunt, cuiq; tribuuntur. Nam ut corpora æqualia æquali alimento, inæqualia inæquali pascere oportet, ita idem de hominibus pro dignitatis atq; potestatis ratione excipiendis valet. Ut cujusq; amplior arctiorve potestas agnoscitur, plus vel minus etiam illi concedi par est in iis, quæ potestati ejus objecta sunt: qui dignitate supra nos excellit, in majore honore habendus est à nobis, quam ipsi cupimus ab illo haberi; qui par est, æquali honore excipi debet. Idem de

256 217  
de amore, curâ, aliisq; officiis impensius vel remissius exhibendis pro comparatione causæ, quam alter alteri dedit, dicendum est. Inde igitur Deo maximus, hominibus inter se quâ hominibus æqualis mutuò amor honorq; debetur; quæ præcipua legis divinæ capita esse, docet Christus *Matth. XXII. 37. seqq.* quia Deus excellentissimus super omnia, homines inter se quâ homines ejusdem naturæ ac originis sunt. Secunda regula circa qualitatem hæc est: *Similium similis est ratio, dissimilium dissimilis*, n.p. respecta ejus in quo similes vel dissimiles sunt. Ex terminis hoc, æq; ac superior regula, constat. Qui se mutuò eadem ratione respiciunt, eatenus etiam eadem officiorum genera sibi mutuò debent, qui diversâ ratione, etiam diversa officia eo nomine requirunt. Ita eadem sunt quæ fratribus vel amicis mutuò debentur, at alia quæ liberis, alia quæ parentibus, nec eadem potest ab hero expectare servus, quæ herus à servo. Quæ verò aliorum in pari casu officia esse videntur, eadem & nostra esse ex eadem relatione, oportet agnoscere. Hinc quia amor nostri facit, ut rectitudinem officii alieni promptè advertamus, quando nostra interest, cupiditatem eam officii etiam nostri mensuram fecit Christus, cum de alieno commodo agitur *Matth. VII. 12.* *Quicquid vultis ut alii faciant vobis, idem vos facite illis*; addens in hac generali regulâ verti legem & prophetas. Nempe non quod quis quomocunq; sibi optat, sed quod tanquam justum sibi cupit & in alium statuit, eodem jure ut & ipse utatur; quale prætoris quondam edictum erat apud Romanos, quod summam habere æquitatem agnoscit Ulpianus *l. i. π. b. t.* Tertia regula circa ordinem ita formari potest: *Ut quisq; prior est, in suo genere potior est.* Quam vulgò arctius contractam ita proponunt: *prior tempore potior jure.* Sed quæ temporis ratio, eadem



& loci est. Nam & dum loco (intellige apto) propior quis est, aliquo momento temporis prior est ad præstanda & recipienda officia, & sic potius vinculum est inter vicinos, quam remotius habitantes vel sedentes, ne possis sine causâ vel præterire viciniorem vel expectare remotiorem. Prior autem quis est, quatenus cum altero non concurrit, adeoq; ut occupat quod nondum ab illo occupatum est. Unde & relatio, quam ex eo temporis momento nactus est, ipsi soli cedit, ut rei vacuæ occupator, rei non expetitæ expetitor sit, ut juvet non ad jutum, molestus fit molestiam aliam non sentienti &c. & quæcunq; inde fluunt jura & obligationes in se derivet, ut potior inventor, petitor, adjutor, & minus graviter molestus sit, antequam accedat alter ad rem jam occupatam, petitam, aut juvamen vel molestiam jam factam. Atq; si de prioritate ordinis quæritur in facto reciproco, non tantum beneficio potior est qui prior est, dum dedit & præstitit nondum danti & præstanti, sed & injuriâ, si laceffivit non laceffitur. Deniq; regularum harum omnium ita eadem certitudo est, ut sub relatione æqualitatis ac inæqualitatis reliquas duas optimè possis complecti.

§. II. Relatio dependentiæ uti triplex est, ita tres quoq; regulas agendi nobis suppeditat. Primam pro subordinatione hanc: *Subordinatum sequitur subordinantem pro mensurâ subordinationis.* Nam à tali directionis sequelâ subordinatio nobis dicitur, & invenitur vel in causis vel in signis. In causando subjicitur instrumentale principali, physicū physicâ, morale morali directione admissâ, quæ moralis directio fit mediante intellectu voluntatē alienâ percipiente: ita jussus jubentem sequitur, civis imperantem. Itaq; quantum alteri in te imperium est, tanta tibi parendi necessitas moralis incumbit. In signando subjiciuntur  
sibi



suæve conditionis, officii, actionis, ab alio habet, vel ejus concursui debet, liber & sui juris est, (puta, quoad vim coactivam) nec nisi voluntate vel suâ vel ejus unde procedit aut dependet, alterius potestati ad novæ obligationis necessitatem jure subjici potest. Ergo etiam in tantum libertate rerum suarum fruitur, & in eâ sine imminutione relinquendus est. Hæc illa sunt duo juris præcepta, quæ Justinianus primæ generali & ad nostri ipsorum curam spectanti (*honestè vivere*) subjicit; *neminem ledere*, ne illi qui tibi obligatus non est, aut quâ in re non est, molestus sis, & *suum cuiq; tribuere*, ut illi, cui obligatus es, ea quæ decet exhibeas. Hinc sicut qui non tribuit alteri, quod oportet, etiamnum id tribuere tenetur ex justitiâ, ita qui læsit, ubi non debuit, eo nomine satisfacere debet.

§. 13. Quemadmodum autem ratio alia *μόνους* est alia *διπλους*, ita & obligatio alia simplex alia mutua. In simplice obligatione alter relatorum *obligans* est, alter *obligatus*. Obligans in sensu transeunte est is unde ratio procedit, at in sensu immanente, quo obligato ut correlatum opponitur, est objectum cui alter obligatus est, sive is, cui ex relatione, quæ inter partes versatur, jus aliquod vel exigendi vel prohibendi competit; obligatus verò is, in quem illud jus competit, quiq; ad faciendum vel omittendum aliquid alteri tenetur. Nimirum potestas est obligantis, necessitas obligati, illius activa, hujus passiva obligatio est. In mutuâ verò obligatione uterq; relatorum & obligans & obligatus est, ut ambo sive pari sive impari vinculo sibi sint reciprocè innexi.

§. 14. Quia verò relativi conceptus omnes in mente æstimatoris hærent, & ad actiones æstimationi conformes tendunt, nec vis obligandi nisi ab illâ æstimatione immeditatè fluit, certum est, non alii inde aliquid juris accedere

218 217  
cedere posse, nisi quæ eius quod agit, aut quod sibi fit & se-  
cum agitur, sensum & voluntatem & æstimationem ali-  
quam habere potest. Itaque rebus inanimatis nemo obli-  
gatus est directio & proprie, quantacumque; etiam videatur  
ad illas esse relatio, v. g. patrio solo, sepulchro majorum,  
arbori, agro aut cibo se alenti, viti aut fluvio potanti, lavan-  
ti &c. quippe quibus perinde est, quid de se fiat; indi-  
rectè tamen & improprie iisdem obligari quandoque; dici-  
mur, cum illi obligamur, qui de iis rebus aliquid præcipit  
vel stipulatus est, aut quomodocumque; ad se pertinere ju-  
dicat, quod illis accidit. Cujusmodi obligationes sunt  
hominum glebæ adscriptorum, & heredum ac necessario-  
rum, qui honorem defuncti & in sepulchro illibatum ser-  
vare debent, aut qui dominantibus prædiis serviunt. Ex  
eâdem causâ neque; res inanimatæ nobis obligatæ esse pos-  
sunt obligatione verâ morali, quamvis illi, qui eas deti-  
nent, possident, aut detinere fortè cupiunt, obligentur ad  
eas aut earum aliquid nobis cedendum. Quo sensu omnia  
jura in re constituta apud Juratos explicari debent, quum  
sævâ jam orationis figurâ res nobis obligatas esse di-  
cunt. Quæ verò sensum & voluntatem aliquam habent  
quidem, at reflexo tamen actu, quæ fiunt, distinctè æsti-  
mare nequeunt, ut animantia bruta, illa aliquam etiam,  
ut ut imperfectam, juris communionem habere necesse  
est, ita ut quamvis honestatis ac turpitudinis moralis re-  
verâ capacia non sint, aliquo tamen crassiore modo & il-  
la nobis & nos illis obligare possimus. Nam quod Car-  
tesius illa fingit sine omni sensu & vitali principio ut auto-  
mata solis mechanicæ legibus moveri, ita ab omni ratio-  
ne & quotidianâ rerum experienciâ alienum est, ut mireris  
homines dari tanto magistri studio occupatos, ut id sibi  
persuaderi patiantur. Etenim si memorabiles illæ va-  
riorum

riorum animantium actiones, memoriæ, fidei, fraudis, variorumq; affectuum indices, loqvela, institutio, societates & opera affabre facta, quæ ubiq; obvia sunt, & de quibus historiæ passim prostant, sine omni mente & sensu edi potuerunt, vereor ne ipse tandem discipulis suspectus præceptor Cartesianus hæreat, quo se argumento illis hominem sentientem & cogitantem, nec pariter inanimem machinam esse evidenter probet. Si verò eadem de aliorum animantium, quæ de hominum sensu, signa atq; argumenta valent, ut bruta dolore & gaudio affici, in spem & metum duci posse concedamus, certum est, quòd nostri etiam & aliorum objectorum perpetuam quandam phantasiam nostro studio excitatam quandoq; circumferant, *conf. Es. l. 3.* quòdque eidem convenienter haberi, durius blandiusq; in pœnam vel præmium admissi excipi possint, *vid. Num. XXII. 27. seq.*

§. 15. Præterea potest obligatio etiam plena intercedere inter eos & cum illis, quineq; sensum neq; æstimationem rei habent, dummodo vel habituri sunt aliquando, vel olim habuerunt. Nam ut voluntas ita & sensus & æstimatio aliqua interpretativa est, quâ relatio cum alio & ex illâ jus oritur & servatur etiam nescientibus, scituris tamen & æstimaturis, vel ad æstimationem eam, cum resciverint, adstrictis. Atque ita obligatio esse & nasci potest infanti, v. g. vernæ, absenti, furioso, quâ aliis tenentur, & erga eosdē, quâ illi tenemur, perinde ac si rationis usu actu pollerent, quanquam pro conditione illorum alios sæpe obligatio effectûs parit, dum non idem sive ipsi præstare possunt, sive ipsis præstari potest, quod præsentibus vel ratione utentibus potest. Sic etiam erga mortuos & in delirium insanabile lapsos, quales præsertim ex senio obvenire solet, non tantum eadem obligatio

259 317  
tio potest hærere; quam ex facto semel transeunte relatio  
peperit, sed & nova accrescere ab illâ voluntate atq; æsti-  
matione, quam in talem casum superstites & sani immu-  
tabilem olim habuerunt, aut habuisse præsumuntur, vel  
quam etiam habere debuerunt; v. g. si quis demortui re-  
lictam filiam duxerit, relationem generi ad focerum in-  
ducit, & ex illâ ad eadem officia memoriæ cineribusq; de-  
functi præstanda obligatur, quæ is sibi à futuro genero in  
casum mortis promittere debuisset. Nam qui superstes  
æstimare potest, quæ sibi post fata obventura sunt, etiam ad  
illa potest obligare sibi alios absolutè aut sub conditione,  
quam qui accipit, accipit etiam conditionatum sive ex-  
pressum à defuncto, sive ex communi omnium volun-  
tate aut obligatione præsumtum, *conf. Gen. XLVII. 31. cum*  
*L. 5. & ib. v. 25. cum Ex. XIII. 19.*

§. 16. Officia obligationis nostræ considerantur  
vel ut consistunt in affectu interno voluntatis, vel ut in  
effectu externo rei vel operæ. Affectus internus ut à  
merâ rei æstimatione regi debet, ita æq; necessarius est  
utrinq; ac ipsa illa æstimatio seu relatio, quæ inter utram-  
que partem versatur, ut neutra vel impedimentum ejus  
alteri ponere, vel obligatione illâ alteram eximere possit.  
Unde v. g. indispensabilis est in liberis reverentia erga pa-  
rentes, satisfaciendi promptitudo in eo, qui damnum dedit.  
At effectus externus non tantum variis impedimentis sub-  
jacet, quorum vis cum superari nequit, conatum obligati  
infringit, sed & ab illo ipso, cui præstari debet, remitti &  
repudiari potest. Quo utroq; casu etiam infringitur ob-  
ligatio, quâ ad effectum illum tenebamur. Nam primum  
quod vires nostras superat sine culpâ nostrâ, nullum in  
nobis habere fundamentum potest, vi cuius absolutè existe-  
re debeat, cum natura quæ recta sibi ipsi non sit contraria.

Q

Unde

Unde vulgato verbo dicitur, *ad impossibilia neminem teneri.*  
Deinde quod alteri externo effectu præstatur, propterea  
præstatur, ut is ejus sentum habeat sive mediatum sive im-  
mediatum, formalem vel interpretativum, adeoq; ut gra-  
tum vel ingratum sit, id quod ingratum est, quia tale, nemo  
potest velle, proinde nec ad id obligare aliquem suam solius  
formali voluntate, aut obligatum sibi habere. Nam jus &  
potestas exigendi ut efficax sit, voluntatem obligantis vel  
stimulat, vel præsupponit, eiq; accedit. Unde obligatio, quæ  
pertinet ad rem alicui præstandam tanquam gratam, ne-  
cessario cessat cum res illa, voluntate hominis in contrari-  
um versâ, grata esse desinit, juxta commune proverbium;  
*invito non fit beneficium.* Obligamur sæpe tamen aliis  
non secundum formalem, sed interpretativam illorum,  
voluntatem; qualis est v. g. obligatio tutoris erga pupil-  
lum, ad id quod in præsentia ingratum est, sed gratum ali-  
quando erit aut esse debet; sed id tunc cum ipse ille, cui  
obligamur, vel in errore versatur, vel aliâ obligatione &  
ipse constrictus tenetur, ne sui juris sit. Fieri enim potest,  
ut neq; ipse obligans officio suo satis facere possit, quo vel  
obligato vel aliis tenetur, nisi id exigat vel conservet, cu-  
jus ipsi jus est: ita qui tenetur ducere exercitum, tenetur  
militum obedientiam exigere & a tumultuantibus pœnas  
poscere, qui tenetur solvere creditori, tenetur in tantum  
debitoribus bona sua non donare. Datur & quandoq; be-  
neficium ut vinculum amicitiae, quandoq; & ita ut simul sit  
imperium, ut cum dominus servo vestimenta dat gerenda,  
ubi ejus rejectio fieri solet ex animo affectum aut imperium  
alienum contemnite; quo nomine Esavi impietas accu-  
satur vendentis jus primogenituræ *Hebr. XII. 16.* At ab ejus-  
modi casibus si abeas, vel ex ipsis terminis constat, quod  
potestas exigendi nullam inferat necessitatem, & sic quis-  
que

260 317  
que rerum suarum arbitrium habens, possit alienum officium sibi nolle, & obligato id remittere, sicut & plus boni dare & datū accipere, quā in obligatione est, *Conf. 1. Cor. VII. 21.* Nam sicut in eo, quod ingratum est, quā tali, nullum fit beneficium, ita in eo, quod gratū est, quā tali, nulla fit injuria.

§. 17. Obligatio ipsa ejusque effectus internus ab obligante non remissus tam diu durat, quā diu perstat relatio cui innititur; relatio verò mensuram durationis suæ capit à fundamento illo, actione vel qualitate, unde resultat. Definit igitur obligatio *primum* cum definit esse ille, qui obligatus est, quia non entis neque actio esse potest, neque actionis ad ullam legem adstrictio. Ita in mortuis cum actionibus etiam obligationes hujus vitæ expirant. Unde Paulus *Rom. VI. 7. qui mortuus est, inquit, absolutus est à peccato.* Illo verò pereunte, cui alter obligatus erat, tunc demum obligatio expirat, cū ita perit, ut nihil amplius ejus, quod in obligatione erat, illi præstari potest. Idē valet de objecto quod in obligatione est, ut desinas v. g. ad traditionem rei obligatus esse, cum res tradenda perit. Nam tradere quod non est, contradictio est. Definit *deinde* obligatio, cum manentibus licet subjectis relationis fundamentum intercedit. Quando obligatio fundatur in re permanente, statim ut illa perit, etiam relationem obligationemque ejus perire necesse est; ita definit simile vel æquale esse alteri, quod definit tale esse quale erat, & quamvis utrumque relatorum æque immutetur, non tamen durat similitudo vel æqualitas pristina, sed nova inchoatur. Quando autem obligatio fundatur in actione transeunte, quæ semel nata continuam rebus æstimationem peperit, fieri non potest ut relatio auferatur, nisi contrario aliquo facto, contrariam inter eosdem relationem pariente, evertatur. Ita obligatio, quæ ex generatione oritur interpa-

Q<sub>2</sub>

ren-



rentes & liberos, tolli nequit per ullam naturæ potenti-  
am, at quæ ex merâ partium voluntate pendet, ut obliga-  
tio patris & filii adoptivi, eâdem utrinq; immutatâ sol-  
vitur, & quæ à traditione rei exurgit, ejusdem restituti-  
one, quæ ab operâ præstitâ, pari vicissim præstatione  
evanescit, neq; minus si mutuo consensu aliud pro alio,  
æ pro merce, merces pro labore &c. tanquam æqui-  
valens rependitur. Quia verò fundamenta relationis ali-  
cujus sæpe plura sunt, aut idem etiam non uni vel perso-  
næ vel parti annexum, fit ut neq; extingui penitus possit  
obligatio ejus, nisi omnibus illis fundamentis vel funda-  
menti unius nexibus solutis, aliàs pro eâ tantum parte  
extinguitur, quâ fundamentum ejus solutum fuerit. Ita  
patria potestas sublato jure civili, secundum ea, quæ inde  
ipsi accesserunt, tollitur quidem, manet tamen illa, quæ  
naturali generatione nititur: item obligatio tam activa  
quàm passiva defuncti, quæ bonis ejus cohæret, ad hære-  
des, quæ officio, ad successores transmittitur, & obliga-  
tio institoris, quæ talis, etiam ejecto illo penes dominum  
manet. Similiter qui pactionem inicit, quæ mutuum in  
partes jus transfertur, suæ quidem voluntatis mutatione  
facit, ne alter ipsi obligetur, non autem ne ipse alteri, aut  
si quis pro parte mutaverit voluntatem suam, pro parte  
etiam obligationem alterius dissolvit, atq; ita suo quisq;  
juri, non tamen alieno, nec in detrimentum alieni juris  
renunciare potest.

§. 18. Obligationes igitur, quæ ab ipsâ essentiâ &  
naturâ obligatorum fluunt, multo sunt arctiores illis,  
quæ aliunde accedunt, quandoquidem nullo facto vel ca-  
su immutari possunt, ideoq; quamvis augeantur homo-  
geneis obligationibus aliis, non tamen imminuuntur  
heterogeneis accedentibus, sed illas potius limitant atq;  
temperant, ne quæ in re sibi obsint. Hinc primò obligatio  
sub:

subordinationis erga Deum, ut nostri pariter ac omnium rerum auctorem summum & rectorem perpetuum & obligatio inæqualitatis, quâ ipsi ut enti præstantissimo conditionem nostram infinitâ perfectione superanti tenemur, omnibus aliis potior est, & in omni aliâ subordinatione nostri temper salva esse debet. *Act. IV. 19.* Neq; Deus ipse potest hac obligatione homines exsolvere, sicut neq; facere potest, ne ipsius creaturæ sint, nec ab ipso dependeant. *Psal. C. 2. seq.* Deinde nec æqualitatis & coordinationis obligatio, quæ hominibus inter se mutuò quâ hominibus intercedit, nisi cum naturâ ipsâ aut commercio omni humano dissolvi potest, ideoq; in omni aliâ inæqualitate & subordinatione, vel quicunq; esse potest, relationis & obligationis modo, semper illibata manet, ut quæ vi ejus nobis invicem debemus officia, nunquam liceat negligere. Nam ad illud primum omnes recurrunt leges aliæ de hominum inter se officiis *Rom. XIII. 9.* Ad eundem modum de omnibus aliis obligationibus ea firma est regula, quod nemo novis implicari possit, ne erga Deum quidem, nisi ad quas subeundas sui potestatem habet, & unde à priore aliâ obligatione non retrahitur, *vid. Num. XXX. 6. 9. 13. 14.* Dissolvere enim qui priorem obligationem, & adstrictam illâ potestatem laxare cupit, ita supra eam debet positus esse, ut fundamenta ejus, voluntates, res & facta, quibus conflata est, pro arbitrio immutare possit. Hinc est quod Deus pro summo & illimitato suo in omnia dominio plura possit eximere vinculo legis naturalis, seu materiam legi naturæ substratam tollere (quæ Theologorum sæveta phrasis est) ubi mutatio homini concessa non est, dum subjecta immutat, ne sibi sint amplius æqualia vel inæqualia quæ erant, ut cum Nebucadnezarem Regem inter bestias abjecit, & inde reduxit ad thronum *Dan. IV.*

Q 3

30-331

39. 33. vel potestatem obligantis imminuit, sive tacite fle-  
ctens sive imperio cogens illum, ut quod habebat jus, re-  
mittat, ut Pharaoni eripuit populum Israëliticum, *Ex.*  
*IV. 22. seq.* & ad vasa illi concedenda Ægyptios flexit, *c. III. 21.*  
*seq. c. XII. 33. seqq.* aut potestatem homini in hominē ampli-  
orem reddit, & uni aufert quod alteri dat, quo titulo  
terram Cananæam deletis incolis Israëlitæ occuparunt,  
& occupationē illam contra Ammonitas defendit Jephtha  
*Jud. XI. 23.* aut deniq; arctiore alio mandato, nos adstrin-  
git, quo non affectus, sed potestas præstandi, quod in ob-  
ligatione aliâ minore est, tollitur, ut cum Abrahamum  
jubet mactare filium quamvis charum sibi & obsequen-  
tem, *Gen. XXII. 2. 16.* Qvalia quædam tamen & in civita-  
te possunt magistratûs, & domi patres familias, quorum  
arbitrio & obligans & obligatus subsunt; quod vulgò *jus*  
*dispensandi* vocant.

§. 19. Quandoquidem verò relationes illæ, unde  
procedunt obligationes nostræ etiam *μὴ ἀλλοιοί*, inter  
duos terminos versantur, & in utroq; illorum fundantur,  
ut supra §. 3. docuimus, sic ut obligato omni geminam of-  
ficii sui æstimationem pariant, & duplici motu volunta-  
tem dirigere debeant, tum in objectû, ut ipsi cupiat quod  
illi convenit, tum in agentem ipsum, ut sicut se decet agere  
studeat. Ille motus amoris est, hic cautelæ, ille felicitati ali-  
enæ prospicit, hic nostræ integritati, ne detrimentum ca-  
piat. Cautela evitandi peccati semper agnitionem officii  
præsupponit sive certâ sive incertam; Amor verò felicitatis  
alienæ potest ulterius extendi, quàm quò obligationis  
opinio ducit, attamen ut virtutis atq; officii nostri esse æsti-  
metur, utiq; à relatione, quæ inter nos & objectum inter-  
cedit, eã metiri oportet. Cum enim sine justâ causâ amor  
in alium fertur, etsi fortasse nulli officio nostro adversus  
est,

est, nec laudem tamen meretur, neq; sanctitatem moribus addit, sicut fit cum ex regulis justitiæ fluit. Sed ille tamen sic justus amor, quamvis fit actus justitiæ, ab eadem certo etiam modo distinguitur. Nam specialiore sensu ea demum *justitia* dicitur, quâ agitur secundum obligationem speciali nexu nos ad ita agendum cum objecto hoc potius quàm quovis alio devincientem, ut fit in relatione dependentiæ: *amori* verò acceptum fertur id, quod etiam ex generali obligatione, solo nostro judicio ad objectum applicatâ, procedit, ut fit in relatione nudæ comparationis. Quo sensu idem sæpe officium & ex justitiâ & ex charitate deberi dicimus, id est, ex speciali & generali obligatione, & amoris latius quàm justitiæ officia patent, ita ut Paulus virum bonum, qui ex amore agit, præferat viro justo, qui id præstat, ad quod speciali lege devinctus est *Rom. V. 7.* idemq; prædicationem Evangelii, quâ ex fixâ sibi lege fungebatur, posthabeat prædicationi gratuitæ, quam apud Corinthios propriâ judicii libertate elegerat, *I. Cor. IX. 16. 17. 18.* ex amore salutis ipsorum, *ib. vers. 19. seqq.* quamvis generali obligatione nixus, ne sc. Evangelio Christi impedimentum daretur, *ib. v. 12. 23. seqq.* aut falsis doctoribus irrependi occasio, *II. Cor. XI. 12.* Non tamen synonymæ sunt generalis hæc amoris, & mediata illa obligatio quam disp. I. §. 8. descripsimus. Nam etsi omnia, quæ a generali obligatione fluunt, etiam obligationis mediatæ sunt, generalis tamen obligatio vocatur ut applicanda est ad casum præsentem, mediata, ut est applicata, nec omnia etiam quæ mediatæ obligationis sunt, fluunt à generali, quia hæc tantum dicitur in ordine ad judicium nostrum, illa magis in ordine ad judicium alienum. Nam leges humanas servamus non ex obligatione generali amoris, sed speciali justitiæ, quamvis mediatâ.

§. 20. Amo-

§. 10. Amoris igitur, ut ab obligatione universali  
justitiæ fluit, & specialius sic dictæ justitiæ actûs omnes  
complectitur, summum præceptum est, *Matth. XXII. 36. seqq.*  
in quâ legis impletio habetur *Rom. XIII. 8. seqq.*  
& in quo Deo quàm maximè affimilamur, *I. Job. IV. 7. seqq.*  
quandoquidem, sicut ille, interno magis principio impulsus  
agimus, cum amore ducimur, dum justitia specialius dicta  
externâ nobis lege atq; regulâ regitur. Effectûs & virtutes,  
quæ variæ ab amore fluunt, latè enumerat Paulus, *I. Cor. XIII. 4. seqq.*  
Dum enim bene cupimus alteri, impellimur ut beneficiamus tum re,  
quæ *liberalitas* vocatur, tum operâ nostrâ, quam *officiositatem*  
quidam vocant, tum ipso agendi modo, seu morum & verborum  
suavitate, quâ *humanitatem* appellant. Præterea amoris est,  
obligationibus passivis activas posthabere, id est, jure suo  
cedere, ut eò felicius possis quod oportet præstare, atq;  
adeo offensiones alienas communi hominum societati &  
cognitioni donare, neq; facillè irasci cum læsus es, quam  
*mansuetudinem* appellant, neq; vindictam vel reparationem  
injuriam ultrâ quàm necessitas relationis & officii jubet,  
urgere, quæ *magnanimitas* appellatur. Quin & judicium  
aliquod amoris est, quo alienæ mentis atq; consilii  
expertes, malum optima quæq; de illis credere, & quæ  
ambiguam interpretationem habent, in meliorem partem  
accipere, juxta illud Pauli. *I. c. credit omnia, sperat omnia,*  
& vulgatum verbum: *quisq; præsumitur bonus;* & sic  
probitate ac ingenio alios nobis meliores æstimare,  
juxta *Pbil. II. 3.* quod *modestiam* vocant, idq; ut eò certius  
ab omni ejus injuriâ absteineamus. Nam nocenti  
nulla fit injuria, si credatur esse innocens, at  
innocenti fit, si etiam in dubium vocatur  
integritas ejus. Quod judicium amoris tamen  
non ultrâ justum est, quàm quousq; innoxium est, & ab  
alio

267  
317  
alio nos officio non abducit. Nam cum de damni imminenti præcautione agitur, iudicio prudentiæ opus est in contrariam partem, quo in communi hac morum corruptione non absurdè dictum est illud Hobbesianum; *quisq; præsumitur malus*: quod & ad confessionis sacramentalis forum trahunt Jansenistæ, quòd ibi *præsumtio sit contra reum*. Non quòd re verâ pessimè credere oporteat de aliis, quæ esset contradictoria priori obligatio, sed quòd in re non satis certâ ita cautè versari oporteat, quasi improbus essetis, qui cum agitur, ne si fortè præter spem nostram sit, damnum demus imprudentiâ.

§. 21. Specialior obligatio, quæ certo aliquo dependentiæ modo nos objecto devincit, oritur vel ab eo, unde esse, statum & conditionem nostram habemus, vel à nobis ipsis factoque; nostro. A quo enim formati sumus, in eius potestate sumus naturaliter, ut de nobis quod lubet statuatur. Qui enim pro suo lubitu dedit ut essemus, ab eius voluntate, quanti sumus, pendem⁹, ut & cum voluerit non esse & aliter esse oporteat. Atq; ita absolutissimum in nos est divinum imperium, quia solâ ejus virtute orimur & consistimus *Jer. XVIII. 6. Es. XLV. 9. Rom. IX. 20. seq.* ut & Christi Regium in quantum nos acquisivit sibi in peculium redemptione nostri, *Tit. II. 14.* parentibus verò limitatum imperium est in liberos, qui ex ipsis quidem, non tamen vel solâ vel independente à Deo virtute illorum nascuntur, & postquam nati sunt, vitam quidem trahunt curâ & nutritione illorum adjuti, sed dependente à Deo, nec perpetuâ nec arbitrariâ, seu tali quam omittere liceat, cum ipsi parentes potius per *πρωτογονίαν* se Deo legibusq; naturæ ab illo positæ ad eam curam interpretativè obligent; juxta illud: *qui vult antecedens, vult consequens*. Similiter qui negotio aliquem præfecit, in iis quæ ad illam curam spe-

R ctant,

Etant, ipsi imperandi jus habet, & quicumque; aliquod in nos imperium exercet, pro modo imperii nos alteri porro obligare potest, imò ei, cui ipse subest, ipso actu pariter obligat. Nam qui servum in potestate habet, etiam servi servum habet, quem vicarium Romani appellabant. Eadem verinarum, municipum, civium tracta à parentibus obligatio est. Qui quid utendum habendumve nobis concedit, circa modum usus aut possessionis leges figere potest. Qui verò beneficium confert eo animo, ut se vel re vel jure, quod in nos contulit, abdicet, aut concurrat tantum nobiscum, ut sine reservato sibi jure ea quæ habemus, formam, vitam, fortunas, nobis conservet, illorum tamen usum ad sua vicissim commoda pro modo beneficii ipsa re sibi devincit, aut si remittit etiam expressis verbis, ipsum tamen rependendi beneficii votum atque studium animi, specialioremq; sui amorem remittere non potest, per ea quæ diximus §. 16. sed eò majorem ejus causam præbet, quò minus aliam compensationem desiderat. Hæc est quæ vocatur *gratitudo*, & species justitiæ est, unde *debitum* appellatur, *Rom. XV. 27. Philem. 19.* Sed beneficium intelligimus verum, quo grati animi obligatio excitatur, non fucatum. Nam qui ad corruptionem potius quam commodum accipientis aliquid alteri largiuntur, odio potius quam amore digni sunt, in quorum peccata consentiunt, qui se illis gratos præbent, vid. *Mich. VII. 3.*

§. 22. Multum autem interest inter illa officia, quæ ab imposito nobis imperio (sive & à facto nostro) fluunt, & illa, quæ gratitudine solâ continentur. Nam illa, quæ talia, pendent à voluntate obligantis, potestate sibi competente vel concessâ uti volentis vel minus, hæc ab ipsa re & nostræ inferioritatis sensu, qui accepimus, quod non compensavimus. Unde porro illa, dum voluntati alienæ

262 317  
alienæ subjiuntur, exigunt determinatè possunt, hæc non  
item, sed nostro ipsorum iudicio determinantur. Etenim  
possunt quandoq; exigunt quædam certa ab ingratis, sed non  
simplice jure beneficii, sed jure vel reservati sibi imperii,  
vel in subsidium implorati. Et si enim benefactori æsti-  
mandi aut æstimatum poscendi jus non est, ne tamen quod  
vicissim debetur, omnino negligatur, iudex vicem ingra-  
torum, quid sui sit officii non æstimantium, supplet. Sed  
quæ sic determinata exiguntur, non amoris aut grati-  
animi effectus sunt, sed in aliam justitiæ causam incidunt.  
Quemadmodum enim amoris litamus, cum genera-  
lem obligationem spontaneo iudicio applicamus ad ob-  
jectum speciale, ita gratitudini servimus, cum obliga-  
tionem, quæ certo objecto ad indeterminatum effectum  
tenemur, itidem spontaneo motu applicamus ad actiones  
determinatas. Eoque respectu gratitudo species amoris  
est, quo sponte determinat satisfaciendi modum, sicut  
priori respectu, quo ad personam, cui satis fieri debet,  
aliunde determinata est, ad justitiam specialiter dictam su-  
pra à nobis reducta est. Et sic justitia, quæ semper de-  
terminatæ regulæ nomen est, non tantum objecti deter-  
minatione ab officiis amoris, sed & contractâ denuo si-  
gnificatione, per determinationem rei vel actionis à gra-  
titudine distinguitur; & qui vel amoris puri vel gratitu-  
dinis alienæ determinationem expectare tenentur, im-  
perfectum jus respectu eorum, qui determinatius quid  
exigere possunt, habere dicuntur. Potest tamen eadem  
obligatio ex pluribus causis oriri, potest & mixtâ quæ-  
dam ratione inter gratitudinem & justitiam intercedere,  
propiore ad alterutram accessione, v.g. si incertum quid  
stipuleris, cujus æstimatio arbitrio vel promittentis vel  
boni viri definiatur. Nam quatenus electio vel æstimatio

R 2

ipfi



ipsi relinquitur, grati animi est quod fecerit, quatenus certam æstimationē in subsidium poscendi jus est, justitiæ.

§. 13. Quæ à nobis ipsis oritur obligatio specialis, vel voluntate & consensu nostro constituitur, potestatem aliquam à nobis in alium sive tacitè sive expressè transfereute, vel ipsâ re, id est, alienæ rei vel juris attrectatione, quâ nos satisfactioni reddimus obnoxios. Voluntate nostrâ id omne possumus in alium transferre, dare vel promittere sive explicitè sive implicitè, cujus ipsi potestatem habemus, id est, quod nostrum est, & ad quod nobis retinendum alteri obligati non sumus, nec minùs illam operam alteri præstare, cujus ratione nostri juris sumus, & quod ita validè datur, præstatur vel promittitur, licet accipere, nisi aliquod in nobis ipsis nostriq; erga aliû obligatione sit impedimentum. Attrectatio autè juris & rei alienæ alia fit cum consensu domini seu formali seu interpretativo, ut in contractibus realibus & quasi talibus, alia sine consensu, & contra voluntatem ejus, quod fit in delictis. Contractûs reales à consensualibus hîc non distinguimus secundum placita juris prudentiæ Romanæ, sed ex naturali ratione, quâ omnis contractus quâ talis consensualis est, & ex parte ejus, qui jus, rem vel operam alienam quocunq; titulo accepit, tantùm fit realis. Juris attrectationem vocamus quamvis molestiâ, quam alter alteri creat, unde is immunis esse poterat: ad attrectationem autem rei alienæ referimus etiâ, si quis rem suam possideat, recipiat, poscat, ab alio novâ formâ, parte, ornatu auctam, aut alienis impensis vel operâ conservatam, quia quod accessit rei meæ, vel ejus durationi sine tali ope perituræ, alienum est. Rei communionem etiâ pertinere ad rei alienæ attrectationem, facile patet, quoniam quod pro parte indivisâ habetur, id est, ita ut ab eo, quod alterius est, distinctum non sit, non potest haberi, quin simul quod alte-

alterius est attingas, & ex eo, quod attingis, ipsi tenearis. Quæ causa est, quod si de eo quod fit in re communi, lis oriatur, potior sit ratio prohibentis, quodque nemo (nisi alia obligatio urgeat) invitus teneatur in communione manere, sed rerum divisiones naturali jure introductæ sint. Ad læsiones & delicta etiam referimus rei alienæ possessionem, quæ bonâ fide fit, & vindicationi locum dat. Nam tenemur scire id quod ad dirigendas actiones nostras necessarium est, & siquid ex errore intellectûs etiam invincibili admittitur, materialiter tamen peccatum est, *vid. supra cap. 3. §. 14. & 19.* Quemadmodum autem voluntas inferioris in voluntate superioris continetur, ut qui nostri potestatem habet, nos quoque suo arbitratu alteri obligare possit, ita vicissim, quæ sibi detinet aut attrectat inferior, illis actionibus, ratione quarum alteri subjectus est, in superioris potestate & mediata licet possessione vel quasi sunt, ut is eo nomine etiam ad satisfaciendum, seu cogendum ut satisfiat, teneatur. Neque potest inferior tale quid agere, quin aut contra eum, in cujus potestate est quantum ad tales actiones, peccet, vel eum saltim virtualiter consentientem habeat, & sic vel uterque imperans & parens se obliget alteri, vel inferior se obliget utrique, & superiori, & extraneo cujus rem vel jus attrectat.

§. 24. Habent igitur hoc commune contractûs reales & delicta, quod ad restitutionem vel compensationem (quanta quidem fieri potest) obligent. At illa compensatio, ad quam omni læso lædens tenetur, non est pœna, sed illa demum, quæ imperio propria est. Ut enim aliæ injuriæ aliis modis cuique relationi & statui propriis, ita injuriæ imperanti quæ tali illatæ pœnis compensantur. Quæ in re enim quisque contra imperantem inobedientiâ peccavit, in eâ imperium ejus excussit, idemque ad illud restituendum non sufficit in posterum obedi-

dientem esse, sicut neq; sufficit ad res ablatas restituendas, nullas amplius eripere, sed ut ratio ex facto orta non nisi contrario facto contrariam relationem habente eliditur, ceu docuimus §. 17. ita quò leuius atq; contemtius habitum est imperium, eò postea grauius & molestius id subire, & sic in ferendis iis, quæ alias ferre non debuisses, vim eius acriorẽ experiri oportet. De quâ compensatione quantum quisq; dominus & imperans remittit, tantum de imperio suoq; iure cedit. Unde fit, ut Deus, qui imperium habet in nos & sumum & absolutè necessarium, non magis possit sine pœnæ exactione homini peccata condonare, quàm illi permittere ut sui juris & lege divinâ solutus sit. Quam æternam & immutabilem Dei iustitiam ex passione Christi elucescentem Paulus *Rom. III. 25. seq.* nobis indicat. Et quia omne quod peccatur contra legem Dei, diuino in nos imperio aduersum est, fit ut omne delictum pœnæ obnoxium sit, *Rom. I. 32.* At ille, qui in aliâ quàm imperii causâ læsus est, quamvis potendæ satisfactionis, & nisi vel publica lex & ordo iudiciorum, vel amoris officia, aut id genus alia obstant, etiã cogendi jus habeat, non ipsam tamen prauitatem animi, factiq; illegalitatem vindicare pœnis potest. Multò minus cuiuis obvio non æq; nocenti pœnam à reo exigere fas est, quæ Grotii hypothesis fuit, contra *Luc. VI. 37. Rom. XIV. 10.*

§. 25. Vulgaris est distinctio iustitiæ in *universalem & particularẽ*, sed particularis iustitiæ tam obscura & ambigua apud scriptores definitio, ut certos ejus limites, & an cum illâ conveniat, quæ amoris & gratitudini opponitur, difficile sit inuenire. Nam definitionem Ulpiani, *perpetua & constans voluntas jus suum cuiq; tribuendâ*, & omne juris prudentiæ civilis officium alii particulari alii universali iustitiæ applicant. Aristoteles particularem tum negativè digno-

dignolcit à terminis aliarum virtutum, ut id omne illa no-  
 tione comprehendat, quod ad aliud virtutis nomen reduci  
 nequit, tum positivè ab observato medio inter lucrum &  
 damnum excessus. Quos characteres si conjunctim ac-  
 cipias, excluduntur à justitiâ particulari omnes stipula-  
 tiones & contractus propriè dicti, quorum officia etiam à  
 veracitate pendent, imò omnis evitatio injuriarum atq;  
 delictorum, quippe quam & modestia & humanitas im-  
 perant; sin accipias divisim, ut vulgò fit ab interpretibus,  
 qui simpliciter in rerum externarum vel detentione vel  
 concessione eam verti docent, omnia etiam amoris & gra-  
 titudinis, & sic justitiæ universalis officia potest hæc defini-  
 tio complecti. Nam quâ vocis latitudine *s. etb. 7.* Ari-  
 stoteles lucrum tribuit percussori, eadem etiam maledi-  
 dico & ignavo id potuisset tribuere *cap. 4.* quippe suâ pe-  
 tulantiâ suâq; fugâ fruenti cum alieno damno. Nobis  
 hîc, ubi non tam de re ipsa, quàm de sententiis philosopho-  
 rum & formandis juxta illas vocabulis quæritur, operæ  
 pretium non videtur, omnia curiosius examinare, quan-  
 tum tamen mentem disputantium assequimur, videntur  
 philosophi in hac distinctione particularem justitiam po-  
 tissimum considerare, ut in foro versatur, ideoq; (1) ut  
 inter partes comuni judici subjectas, & sic non ut inter sub-  
 ordinatas, sed ut inter coordinatas vel oppositas obtinet.  
 Nam de æqualitate tantum, non & de inæqualitate inter il-  
 las inveniendâ solliciti sunt. (2) non ut vel animum vel  
 actionem afficit, sed ut res ipsas, quæ partibus utrinq; ob-  
 veniunt, & curæ magistratum præcipuè sub jacent. Nam  
 in rerum inter se comparatione instituendâ subsistunt, ne-  
 que sanè dum de inæqualibus ad æqualitatem reducendis  
 loquuntur, vim & fraudem inter partes dividi volunt aut  
 justitiæ studere illos censent qui se mutuo æqualiter læ-  
 dent.

dent. (3) ut cuiq; ad res illas determinatum jusest, adeoq;  
non ut in causis amoris, liberalitatis & gratitudinis obtinet,  
sed ut in contractibus & delictis vel qvasitalibus, de qvi-  
bus actiones in foro prodiæ sunt. Nam ad illas tantum  
obligationes recurrunt, cum qvibus modis suum cuiq; tri-  
buatur, exponunt. Imo plerique omnes contractus *μορο-  
πλεύρας* inde videntur excludere, cum illam non nisi in  
divisione & *συναλλαγμάτων* correctione occupari ajunt.  
Quare arctissimam & valde inadæquatam esse oportet  
in illâ distinctione justitiæ particularis notionem.

§. 26. Particularis hæc justitia distinguitur vulgò  
in *distributivam* & *commutativam*, qvarum illam Grotius  
attributricem hanc explettricem appellat, non verbis  
tantum, sed & ipsâ re à communi sententiâ diffidens. Dif-  
finitionem hanc aliàs philosophi non eodem modo ex-  
plicant, dum alii distributivam justitiam in omni parti-  
um ad totum comparatione ponunt, alii in observatæ  
tantum dignitatis & meritorum differentiâ, qvæ in  
membris participantibus est. Grotius verò inde qvòd  
personarum dignitas hîc respiciatur, omnem tam bene-  
ficii privati qvàm muneris publici collationem istuc re-  
fert, eaq; propter novum *attributricis justitiæ* vocabulum  
invenit, sicut & propterea qvòd restitutio ablati propriè  
non sit permutatio, *explettricem* illam justitiam appellare  
maluit, qvâ hominum inter se commercia reguntur, &  
illam aptitudini seu juri imperfecto, hanc facultati tan-  
qvàm juri perfecto respondere censet. Attamen apti-  
tudo non est jus, neq; facultati subordinatur ut perfecta  
qualitati imperfecta, qvòd ille perperam putavit, cum  
facultas agentis sit, aptitudo objecti, neq; magis ab apti-  
tudine ad debitum licet argumentari, qvàm à posse ad  
esse, vel ab utili ad necessarium. Beneficiorum cuiqve  
libe-

267 317  
libera administratio est, privato iudicio (ut supra diximus) ad objecta & agendi modum applicante, quod generalis obligatio amoris requirit, unde ea res non pertinet ad iustitiam strictè dictam; at cum pro meritis dantur, vi permutationis dantur, perinde ut pœnæ, non verò vi distributionis, quod putant Aristotelici. Certè compensatio talis uni dari potest, ad distributionem plures concurrunt. Imò iustitiâ distributivâ alter alteri non obligamur nisi ex jure communionis, ut pro parte suâ, quam in re communi habet, cuiq; satisfiat. Quippe nullam vinitoribus primis fecit injuriam pater familias, cum illis mercedem non eâdem proportione auget, quâ auxerat ultimis, *Matth. XX. 13. 35.* quia opes conductoris non erant conductoribus communes. Illa verò communio & communionis imparitas siue perveniat à sorte ad societatem datâ, siue ab operâ in illam collatâ, siue à quâvis aliâ causâ, omnino perinde est, & cives cum à divitiis, vel generis aut muneris dignitate æstimantur, quisq; ut pars reipublicæ major vel minor æstimatur, pro quâ illis tam commoda quàm onera communia ferenda sunt.

§, 27, Quòd justitia commutativa arithmeti-  
cam, distributiva geometricam proportionem sequatur,  
*πολυτέλειαν* etiam ex Aristotele axioma est, sed nihilo fel-  
licius ipsâ utriusq; justitiæ divisione. Dum enim quid  
voces illæ velint, (ut magno consensu, ita nullo cum fru-  
ctu à Mathematicorû foro ad doctrinam moralem tractæ)  
non nisi confusè à plerisq; intelligitur, multa etiam & inanis  
de illis, nempe quâ proportione vel in pœnis vel in præmi-  
is opus sit, disputatio oritur. Proportio, explicante ipso  
Aristotele *5. eth. 6.* æqualitas rationis est, ratio verò est re-  
spectus quantitatis ad quantitatem, id est, vel æqualitatis  
vel excessûs & defectûs: adeòq; proportio in geminâ  
terminorum ratione consistit, quorum primus ad secun-  
S dum

dum se habet, ut vel idē ad tertiū, si proportio sit continua,  
 vel tertius ad quartum, si sit discreta; ratio verò inter duos  
 tantū terminos versatur sive æqvales sive inæqvales. Dis-  
 tinctio autem æstimationis geometricæ & arithmeticæ  
 non nisi inæqvalem rationum est. Si enim excessus & de-  
 fectus æstimatur in ordine ad terminum correlatum, à quo  
 alter terminus excedit vel deficit, dicitur geometrica ab  
 usu geometrarum, sin in ordine ad communem aliquam  
 mensuram partium, dicitur arithmetica, à simplice nu-  
 meri progressu. v. g. ratio binarii ad ternarium ge-  
 ometrica est subsesquialtera, arithmetica est deficientis  
 unitatis. Ergo geometricæ proportionis est,  $2.3::6.9.$   
 arithmeticæ  $2.3::6.7.$  Ubi verò terminorum est æquali-  
 tas, nulla inter utramq; proportionem differentia datur.  
 Nam v. g.  $3.3::4.4.$  & geometricè & arithmeticè pro-  
 cedit. Ex his principiis patet, quòd ubi non est gemina ter-  
 minorum ratio, id est, duplex diversarum quantitatum  
 ad se æstimatio, ibi nulla omnino sit proportio propriè, &  
 secundum definitionem Aristotelis ita dicta, item ubi  
 ratio quidem gemina, non tamen inæqualis est, distincti-  
 oni proportionis geometricæ & arithmeticæ nullus locus  
 esse possit. Unde in cōmutatione rerum, quodcumq; illa  
 tantū, quæ auferuntur & redduntur, vel detinentur &  
 conceduntur, immediatè inter se exæquantur, frustra &  
 præter rem quæritur de proportione, quam illa inter  
 se habeant. Idem dico, si quod multis placet, pro invenien-  
 dis istic quatuor terminis, rebus acceptis & datis addantur  
 personæ accipientes & dantes, nec personarum tamen in-  
 æqualitas aut numerus correorum ipsi contractui re-  
 busq; permutandis variationem afferat. Ubi autem  
 cōmutandarum inter se æqualitas ad diversas conditio-  
 nes vel rerum vel personarum æstimanda est, geometrica sem-  
 per terminorum proportione non minus quam in divisione rem  
 ab-

absolvi, etiam pueri in scholâ norunt, cum ex regulâ Trium  
 ( in quam & societatis regula resoluitur ) sanè geometri-  
 câ, & in prop. 19. l. 7. Euclidis, de reciproca proportione late-  
 rum in quadrangulis æqualibus, fundatâ, calculum pro quarto  
 proportionali inveniendâ instituunt. Ad rerum conditionem  
 autem æstimatur æqualitas, quoties non idem specie fit aut re-  
 stituitur, quod datum aut factum est, aut etsi idem, non tamen  
 eadem mensurâ æstimatum, sed rerum diversarum, diversive pre-  
 tii aut mensuræ ex æquatio quæritur, ut hordei ad triticum, vel  
 lecti ad domum, quod Aristotelis exemplum est. Ad personas  
 verò fit æstimatio vel (1) dantes & compensantes, quoties amoris &  
 gratitudinis causa vertitur, tunc enim officium cuiusque potius  
 in animi studio, quàm in re præstitâ observatur, adeoque non  
 ab objectitanrùm dignitate vel indigentia, sed & nostrâ agen-  
 di potentia ejusque circumstantiis pendet; vid. de elemofy-  
 nis *Marc. XII. 43. seq. II. Cor. VIII. 12.* vel (2.) compensationem  
 accepturas, quoties animus & studium agentis potius quàm res  
 aut facta compensanda sunt, ut meritis præmia, demeritis pœ-  
 nâ respondeant; tunc enim non quanta res retribuenda sit sim-  
 pliciter, sed quanta illi sit quæritur, cui retribuenda est, quan-  
 toque eum sensu afficiat, ut inde honore vel opibus augeri vel  
 deminui censeatur. Nam sicut cum mercede quis conducitur, aut  
 damnum dat, nihil interest, spontene an invitus, alacrius ne an  
 morosius rem agat, dummodo vel fiat opus quod debuit, aut da-  
 mnum datum sit, de eo verò, qui præmium meritorum aut delicti  
 pœnâ expectat, multum interest: ita nec ad determinandam mer-  
 cedem aut damni compensationem interest, dives quis an pauper  
 sit, interest autem ad præmium & pœnam. Inde fit igitur, ut in pari-  
 tate meritorum plus & honoris & pecuniæ debeatur nobilibus &  
 divitibus quàm plebeis & pauperibus, in paritate delicti verò ho-  
 noratis & divitibus minor ignominia & major multa sit indicenda,  
 nec cum ita fit, ullum crimen *πρῶτον πολυψίος* admittatur, maximè  
 verò si merces à nobilibus venditas majoris quàm venditas à ple-  
 beis æstimare velis, vel contrâ, aut cum de capite agitur, cu-  
 jus regulariter cuique æqualis cura atque sensus est, in nobilem &  
 pauperem in æqualiter jus dicas. Hanc communem regulam  
 præmiorum & pœnarum cum ratione duce animadvertent

S 2

phi-



philosophi, & geometricam tamen proportionem soli divisioni propriam esse auctoritate Aristotelis sibi persuaderent, omnia disputationibus confusa sunt, quæ cum spurium illud axioma abjectum fuerit, omnia plana & expedita erunt.

§. 28. Possumus autem justitiam strictè dictam, si pro diversis actionum generibus peculiarem ejus vim consideramus, in plures dividere sive species sive partes. (Nam de his vocibus superflua & inanis contentio est, quarum usus à variante apud homines justitiæ conceptu pendet.) Quippe præter commutativam (quò promissiva, restitutiva, & retributiva utcumq; referri possunt) & divisivam, etiam dantur electiva & correlativa, quæ ad illarum neutram pertinent. *Correlativa* generaliter quidem omnis justitia appellari posset, quia omnis refertur ad alium, at hoc loco, cum aliud vocabulum commodius desit, strictiore quodam vocisusu denomino illam, quatenus tendit ad relationem cum correlato conservandam, & ad ea officia præstanda, quibus integra & illibata conservatur, v. g. ut dominio alterius respondeat nostra servitus, imperio obsequium, auctoritati reverentia, clientelæ patrocinium, amicitia par studium, fidelitati fiducia &c. Reliquæ partes justitiæ omnes tendunt ad relationem, & quæ inde exurgit, obligationem expungendam; *promissiva* ad rem promissam præstandam, quod qui omittit postquam dies & conditio venit, idem facit detinenti rem alienam, *restitutiva*, ad restituendum quod ab alio habes, *commutativa* in specie dicta, ad dandum æquivalens, *retributiva*, ad compensandum vel studium juvandi alios gaudio proprii incrementi, quæ specialiter appellatur *remunerativa*, vel studium nocendi, aut negligentiam etiam officii præstandi, dolore proprii decrementi, quæ est *punitiva*, tandem verò *divisiva*, ad id quod confusè habetur, certâ parte concedendum, & *electiva*, ad id quod confusè debetur, sed haberi simul nequit, certæ personæ assignandum. Interest enim inter divisivam & electivam justitiam; ad illam conveniunt plures copulativè, ut & hic & iste partem capiat, ad hanc disjunctivè ut aut hic aut iste rem habeat, sive pro gradu qualitatis, sive pro prioritatem temporis loci, juris. Utraq; tamen ex jure aliquo communionis pendet, quo certo hominû generi ex peculiari agendi regulâ quis tenetur, ut v. g. electiva in concursu creditorû,  
de

287 317  
de prioritã in bonis non sufficientibus contententium, aut alio-  
rum ex diversis causis emtionis, dominiũ, retractus, præscriptionis  
&c. pro re sibi addicendã litigantium. Nisi enim commune jus  
propositum sit, ad quod omnes concurrant, ita ut res cuiq; quo-  
dammodo debeat, nulla est electionis iustitia (nisi fortè per acci-  
dens, cum is cui obligatus sum quâcunq; de causã, aliis inmixtus est,  
quibus non obligor, & inde discernendus) sed merũ arbitrium.  
Sicut paterfamilias, cum ordo & momentũ solutionis ad rationẽ  
promissæ mercedis non intererat, non tantũ ex imparibus pares,  
sed & ex primis fecit ultimos sine læsione iustitiæ, *Matth. XX. 8. 15. 16.*

§. 29. Ut autem obligatio nobis varia ex variis causis oriri  
potest, ita & plures sæpe ad idem objectum eandemque obli-  
gationem concurrentes, eam alterant, & alia atque alia requi-  
runt officiorum genera, quemadmodum & Jcti docent, mini-  
mã circumstantiã jus variari. Docendi quidem gratiã possumus,  
quamque obligandi causam seorsim considerare, cum difficile  
& propemodum impossibile sit, ad omnes pariter unã mentis  
reflexione attendere; at in praxi tamen illas separare non o-  
portet, sed ex relationibus omnibus, quæ alteri nobiscum sunt,  
agendi mensuram sumere. Legum latores etiam ad obligatio-  
nes plerumque simplices tantũ respiciunt, & quid ex causã  
commodati, mutui, mandati &c. fieri oporteat, generaliter de-  
finiunt, & licet de quarundam etiam concursu quid moneant,  
omnes tamen illarum figuras, quarum innumerabilis composi-  
tio est, completi nequeunt. Unde fit, ut sanctiones legis ex  
concurrentibus aliis obligationibus in quovis casu singulari ju-  
diciis prudentiã moderari debeant. Hinc distinctio orta est in-  
ter *strictum jus & æquitatem*, & ex confusã notione termino-  
rum gravis de æquitate disputatio, quid? unde fit? & an scripta  
esse possit? &c. plerisque jus in lege, æquitatem in interpretati-  
one collocantibus. Equidem certum est, nullam actionem ju-  
stam esse posse iustitiã universali, nisi quæ & æqua sit, sicut nulla  
perfectio esse potest, quæ vitium habet, imò æquum & iustum  
eo sensu sunt synonyma apud Latinos, quanquam *ἐπιείκεια*  
apud Græcos sæpe de solo amore, quo cedimus jure nostro, dici-  
tur, uti & inter amoris officia numeratur *Jac. III. 17. Tit. III. 2.* at  
iustitia particularis ab æquitate differt ut forma particularis à to-  
tali.

tali. Nam quatenus uni obligationis causæ satisficit, quæ lex seorsim  
exprimit, appellatur justitia, quatenus reliqui omnes etiam  
amoris nexûs, ad eandem causam concurrentes observantur,  
æquitas. Errat, qui à formâ partiali totum subjectum simpliciter &  
absolutè æstimat, v. g. *homo est rationalis, E. immaterialis; im-*  
*mortalis.* Nec minus peccat, qui actionem totam ab inadæ-  
quatâ ejusmodi justitiâ æstimat: *promisit, E. exigendum est; ac-*  
*cepit, E. restituendum.* Quemadmodum enim actio civilis v. g. ex  
stipulatu, in se justa est, at exceptionibus sæpe variis eliditur, ne  
justa sit actoris intentio, ita cum sola obligatio stipulationis con-  
sideratur, justa potest esse exactio promissi, at cum obligationes  
amoris quali exceptiones rei inopis, necessarii, benefactoris in  
aliâ causa creditoris, errantis, consiliis suis frustrati &c. ad jiciun-  
tur, jus exigentis compensant, tollunt vel imminuunt. Idem dicen-  
dum de exceptione juris per se validâ, at per ejusmodi causas vi-  
cissim elisâ. Ita verû est illud comici; *summum jus*, quod uni obliga-  
tionis causæ strictè inhæret sine consideratione aliarû, *summa est*  
*injuria*: qui videtur quidem rigor juris esse, dum unum axioma  
preste urges, at revera est defectus & neglectio juris, dum ad  
concurrentia alia non attendis. Hoc sensu explicatam æquita-  
tem nil obstat scriptam esse, & multas inde leges laudari, ut lau-  
dantur certè, & aliæ, quæ uni causæ obligationis ita inhærent, ut  
ad alias attendere prohibeant, iniquitatis arguuntur. Distin-  
guunt nonnulli etiam legem duram vel asperam ab iniquâ, ubi  
*duram* vocare videntur, quæ excludit exceptiones & replicas merè  
excusantes, quæ audire amoris esset, v. g. ab inopiâ, errore facti  
proprii, ignorantia juris positivi &c. *iniquam*, quæ excludit causas  
etiam defendentes, quæ specialiore obligationem afferunt, ut  
à publico favore sexus & ætatis, culpâ aduerialii, abusu privilegii  
&c. quæquam pro sermonis libertate, & accusandæ vel excu-  
sandæ legis studio non idem semper vocum harum usus aut ex-  
plicatio auditur. Certum autem est, rariores esse leges civiles  
in considerandâ generali amoris obligatione, nisi ipsam contra-  
ctûs vel delicti causam speciali modo afficiant atq; alterent, unde  
& nota distinctio inter causas bonæ fidei & stricti juris, quod non  
ubiq; judici moderandæ ex æquitate legis libertas relinquatur, uti  
neq; omnibus specialibus obligationib; quæ juris naturæ sunt, jus  
civilis

vile afficit. Sed alia legitatoris ratio est, alia civis, ille necessitati reipublicæ prospicit, ne dum amori operatur, fraudi & iniustitia pateat occasio, & quandoq; mala minora permittit necessario, ne eveniant pejora alia, hic verò in quoq; casu & negotio cum aliis oborto officium suum potius ex verbi divini & rectæ rationis ductu, quàm ex legis civilis auxilio metiri debet.

§. 30. Quia autem omnis justitia fundatur in aliquâ relatione, neque obligatio est nisi inter obligantem & obligatum, constat sibi ipsi in propriâ & strictâ vocis significatione neminem obligari posse. Veruntamen ut inter terminos ratione tantùm differentes, vel à subjecto eodem abstractos, etiam relatio quædam rationis est, ut supra §. 2. docuimus, ita nec rationis quædam obligationem, quâ per analogiam aliquam vel dicendi tropum quis sibi ipsi obligatus esse dicatur, negare possumus. Accidere id autem potest triplici quâdam ratione, (1.) cum quis sui juris non est, sed ratione vitæ & conditionis subiacet alienæ potestati, tunc enim ut alteri ad se conservandum sibi quicquid præstandum obligatus est, etiam sibi ipsi est, quia in ipsum immediatè redundat, quod ex voluntate alterius agit, & agere tenetur. (2.) cum certas voluntatis regulas certumque finem sibi quis proponit, & secundùm illarum ductum aliis studiis & cupiditatibus suis legem figit. Nisi enim appetitûs particulares universali respondeant, contradictione fluctuabimus, & finem nostrum ipsi destruemus, qui adeò si bonus honestusque est, id est, subordinationi voluntatis & intellectûs, objectoque ipsi congruus, nos nobis ipsis obligat. (3.) cum diversas animi virtutes corporisve partes inter se comparamus, illarumque harmoniam & subordinationem per modum imperii civilis concipimus, exemplo Pauli, *I. Cor. XII. 14. seqq.* vel ut Plato *4. de rep.* in harmoniâ partium animæ propriam universalis justitiæ naturam constituit, & nos primum honestatis naturalis principium posuimus supra *cap. 3. §. 12.* tunc enim ut quæque pars alteri respondere debet, ad servandum naturalem agendi ordinem, illi obligata est. Itaque quia homo Dei creatura est, animo & corpore ad illum colendum adstrictus, in cujus manu atque potestate vivit, ad illa omnia sibi conservanda obligatus est, quæ semel amissa humanâ virtute recuperare nequit; & quia naturali ac  
indif-

indispensabili necessitate se ipsum amat, sibiqve bene esse cupit, ut *cap. 4. §. 27.* docuimus, debet sibi eadem necessitate omnia, quæ ad hunc finem, ut certo intellectu regitur, pertinent, & aliis officiis adversa non sunt, debet viribus animi & corporis objectum occupationis, certosqve labores, conservandæ sanitati temperantiam vitæ, honori nativo gravitatem morum & pudicitiam, ne dignitatem corporis diffusâ libidine prostituat atqve polluat. Nam dum in corpus suum peccat scortator, *I. Cor. VI. 18.* utiqve illi ad castitatem obligatur. Denique debet intellectus voluntati lumen, hæc illi obsequium, & postquam homo naturaliter non potest nisi prava velle, actus bonos verò non nisi à Spiritu S. gratiâ & concessis inde viribus habet, etiam spiritui plenissimum obsequium ad mortificationem carnis debet, ut in omnibus officium faciat. *Rom. VIII. 12. seqq. Gal. V. 24.*

§. 31. Duximus ita summas obligationis nostræ lineas, ex naturæ quidem lumine fluentes, S. Scripturæ tamen calculo probatas, & specialioribus ejus exemplis ac præceptis certius pleniusqve nobis innotescentes, unde omnis philosophia nostra non tantum confirmatur, sed & dirigitur, uti ab inductione specierum genericæ definitionis certitudo exurgit. Quia autem in omni obligatione prior ratio est objecti, cui obligamur, altera causæ, unde obligatio procedit, rectè fiet, si eo ordine etiam penitiores moralis doctrinæ recessus excutientur. Objectum obligationis primū Deus est, deinde aliquomodo angeli, utpote naturâ & conditione nobis superiores, postea ipsi nobis objecta sumus, & porro alii homines tum dignitate superiores, tum pares, tum inferiores, etiam infantes, deliri, mortui, tandem bruta suo modo & ipsi diaboli occurrunt, adversus quos, tanquam hostes & insidiatores ἀσπόμενοι, armare se oportet. Cum unoqvoq; objecto causa obligationis naturalis præcedit eam, quæ ex facto est, & quæ ex facto alieno, tanquam necessaria nobis, antevertit arbitriam, quæ à nobis ipsis oritur, & quod ex quâqve causâ rectè fit, ordine naturæ primū cognosci debet, quàm quod peccatur. Hac viâ sine confusâ oberratione patebit ad quamq; officiorum classem considerandam aditus, & per omnes quæstionum salebras bono cum Deo expeditum iter.





necessitate se ipsum amat, sibiqve bene esse cupit,  
docuimus, debet sibi eadem necessitate omnia,  
finem, ut certo intellectu regitur, pertinent, & a-  
versa non sunt, debet viribus animi & corporis  
cupationis, certosqve labores, conservandæ sanitati  
vitæ, honori nativo <sup>gravitatem</sup> morum & pudici-  
tatem corporis, <sup>libidine</sup> prostituat atqve  
in dum in corpe peccat scortator, I. Cor. VI.  
d castitatem, <sup>quæ</sup> sique debet intellectus  
nen, hæc illi <sup>est</sup> itquam homo natu-  
otest nisi <sup>verò</sup> non nisi à  
ratiâ & <sup>etiam</sup> spiritui  
i ob <sup>is</sup> debet,  
US C <sup>reas,</sup>  
ge.  
ni obli-  
e, unde o-  
ores moralis  
is primū Deus e-  
onditione nobis sup-  
porro aliū homines tum  
inferiores, etiam infantes,  
& ipsi diaboli occurrunt, adve-  
diatores ἀσπόμενοι, armare se oportet. Cum unoqvoq;  
usa obligationis naturalis præcedit eam, quæ ex facto  
ex facto alieno, tanquam necessaria nobis, antevertit  
n, quæ à nobis ipsis oritur, & quod ex quâque causâ  
ordine naturæ primū cognosci debet, quam quod  
Hac viâ sine confusâ oberratione patebit ad quamq;  
a classem considerandam aditus, & per omnes quæ-  
alebras bono cum Deo expeditum iter.

